



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione Editio
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.
Sacramenti ...

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1629

In Festo S. Marcelli Episcopi Et Confessoris. Potest esse commune de
Episcopo aut Confessore quocunq[ue].

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

sollicitius pro iisdem exoremus, ut nimirum
 o um misereatur, pœnas minuatur, temporis
 spatium abbreviet, nostras orationes eorum-
 que querimonias & lachrymas non respuat,
 denique eas acerbis purgatorij flammis cri-
 piat. Quamobrem toto vitæ tempore sem-
 per pro iisdem Dominum inuocemus, dica-
 tes: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux
 perpetua luceat eis.*

Et sane o pater misericordiarum, & to-
 tius consolationis Deus, viutorum ac mor-
 tuorum Iudex æquissime, supplices te ho-
 die die deprecamur, ut captiuarum illa-
 rum virginum lamenta, suspiria, clamores,
 lachrymas benignus exaudias: ac tristes
 creaturarum tuarum gemitus attendas, quæ
 iam à tot annis, tamq; grauiter, & tam atro-
 cibus apud inferos in iustitiæ tuæ carceribus
 suppliciiis excruciantur. Noli quæso ele-
 mentissime ac benignissime Deus aures corû
 questibus ocludere, qui noctes & dies de
 profundis terræ visceribus ad te inclamant,
 ita namque sortem eorum describens Psal-
 mographus ait: *De profundis clamaui ad te
 Domine, exaudi orationem meam; Fiant aures
 tuae intendentes in vocem deprecationis meæ.*
 Quare age fidelium omnium conditor, eor-
 umque animarum Redemptor, misericor-
 diam & gratiam illis impertire, & veniam
 misericordissimæ pietatis tuæ omnia illo-
 rum peccata exstingue, & vniuersalem o-
 mnium illis delictorum veniam concede, ut
 indulgentiam quam semper optauerunt,
 piis supplicationibus consequantur: & re-
 tris illis carceribus egredientes libertatis æ-
 ternæ compotes efficiantur, ac recta ad bea-
 torum gloriam & requiem sempiternam,
 quam ipse beatitudinis status secum trahit,
 perueniant: ad quam nos Pater, &
 Filius, & Spiritus Sanctus
 perducere dignen-
 tur.

Psal. 129.

IN FESTO S. MARCEL-
 LI EPISCOPI ET CON-
 FESSORIS.

Potest esse commune de Episcopo aut
 Confessore quocunq;

Partitio.

1. *Quæ dua sint dotes Episcopales.*
2. *De doctrina Episcopali.*
3. *De vita ac virtute Episcopali.*
4. *De delictorum omissione Episcopali.*

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis pla-
 cuit Deo. Eccl. 44.

FIGURA.

INter ceteros quos Romana Respubl. tulit
 viros virtute & rerum gestarum gloria in-
 signes ac bello & pace nobiles, non postre-
 mum, meo quidem iudicio, locum obrinet
 magnus ille Marcellus, qui Hannibalæ Italiæ
 incumbentem profigauit, quintum Consul
 fuit; ac variis in Rempub. collatis beneficiis,
 egregiam virtutis & fortitudinis apud
 posteros famam & nomen est consecutus. Non
 minorem vero laudem mihi cõmeritis vi-
 detur Marcellus Parisiensis, magnus ille Jesu
 Christi athleta, qui toties in vita, non dico
 Hannibalem, sed ipsum diabolum fregit, ac
 superauit: qui quidem non Consul Roman.
 sed Præsul Parisiensis extitit, multis in Rem-
 publ. Christianam meritis celebris, & fidei
 Catholicæ propagatione nobilis. Eius hodie
 vobis elogium hic celebrabo, si sanctissimus
 ille spiritus auxiliij sui zephyro, ac gloriosissi-
 ma Dei mater Maria intercessionum suarum
 flabris cymbulam meam propellere dignen-
 tur. Quare solita eam compellemus salutan-
 di formula.

AVE MARIA.

Apostolus Paulus cum virtutes & quali-
 tates in Episcopo requisitas Timotheo suo
 I. Tim. 3.
 præ-

Plutarch.
 in Marcel-
 lo.

præciberet, duas in primis ei necessarias esse ait, doctrinam videlicet, & vitæ probitatem, opera simul & verba: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, continentem, pudicum, doctorem.* Inde vero est, quod verbum oportet hic usurpauit, quod sine iis duabus absolutus Episcopus quis dici nequeat. Ac multis ante Paulum sæculis in lege Mosai- ca peregrino id designauit hieroglyphico Deus, cum à sacerdotio arcuit eos, in quibus aliqua esset macula, cæcos, quin etiam claudos, & eos omnes, qui membro aliquo essent mutili; *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu.* Cur putatis eum cæcos & truncos manibus à sacrificiorum oblatione arcuisse? non sineratione. Cæcitas enim symbolum est ignorantia, & ipsa scientia oculus animæ; & per truncos manibus certum est designari eos, qui nullis sanctis, aut piis operibus incumbunt. E quibus omnibus efficitur, eum qui cæcutit, id est, qui ad Dei verbum annuntiandam ineptus est, & eum, qui manibus mutilus est, id est, qui in bonis operibus negligens est ad Episcopatum, & Dei, Ecclesiæque ministerium minime idoneum existere.

Idem Apostolus scribens Philippensibus his duobus se instructum gladiis, ad eos descendisse gloriatur, atq; hæc duo, verba nimirum & opera velut certa Euangelij sui argumenta producit, dicens: *Quæ vidistis & audistis in me, hæc agite:* Perinde ac si diceret: Nolite me nugiuendulum, aut cymbalum tinniens aestimare Philippenses, qui nimirum aliud doceam & aliud faciam, neque enim de eorum sum numero, quorum lingua brachio sit longior, qui dicunt & non faciunt; mea vero agendi ratio cum operibus semper hæcæus coincidit, yberaq; mea ad verba traducere conatus sum, adeo, vt duæ hæc dotes vitam meam, velut pretiosæ quædam gemmæ, decorarint.

Accedit adhæc, quod duos è suis, qui iam ad Episcopatus dignitatem euecti erant, & Ecclesias moderabantur, admonuit, vt duobus his potissimum armis se instruerent, vni enim eorum in hunc modum scripsit: *In om-*

Bessai tom. 3. De Sanctis.

nibus tunc ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. dicere vult: Quoniam Spiritui S. & nobis visum est carissime, præfulem te & pastorem animarum in Ecclesia constituere, satage & pro viribus enitere, vt gregi tuo pietatis & probitatis sis exemplum, ac per bona opera vocationem tuam certam facias & confirmes, quadam scilicet grauitate Episcopali, integritate vitæ, & potissimum doctrina. Alterum vero his verbis adhortatus est: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione:* Quandoquidem Timothee ad Episcopatus apicem euectus es, omnem da operam, vt fidelibus bonæ vitæ exemplo præluceas, ac velut sidus quoddam in conuersatione & doctrina effulgeas, nolo autem te campanas templorum imitari, quæ in summitate quidem templi pendentes sono suo & tinnitu omnes vñdecumque fideles ad temp'a cogunt, cum tamen ipse nunquam eadem ingrediantur; quibus campanis merito comparauero depascentes illos pastores, qui ad summum in Ecclesia apicem euecti, alto quidem & sonoro tinnitu aures audientium seruiunt, bene dicunt; atq; omnes ad bene agendum inuitant: sed ad operandum ne digitum quidem mouent. Neque enim iufficit Præfulem tantummodo loqui, sed necesse quoq; est eum manus ad opus ipsum extendere.

Esaias futuri Messia Pontificium & sacerdotium in spiritu præfagiens, his id coloribus Ecclesiæ depinxit: *Et erunt oculi tui videntes præceptor. m. tuum, & aures tua audient* Esai. 30. *verba post tergum mouentis.* Paucis ecce verbis omnem Pontificis perfectionem cõprehendit: verba nimirum eius celebrat & opera: necesse namq; est Præfulem habere aliquid, quod hominum oculis appareat, bona scilicet opera: atq; etiam aliquid, quod ab omnibus exaudiat, insignem doctrinam; adeo, vt, cui alterutrum desit, perfectus & absolutus pastor dici nequeat.

Duo illi viatores, qui in Emaus proficisce- *Luc 24.* bantur, cum Christi qualitates describerent, qui verus Põtifex est, & de quo toties ad Hebræos Apostolus tam magnifice locutus est (scilicet, *Habemus Pontificem magnum*, ac de- *Heb. 4. 6. 9.*

T r r r inde

Luc. 24.

inde Pontifex factus in aeternum, & alibi, Christus autem assistens Pontifex) duas potissimum protulerunt, qui fuit Propheta potens in opere & sermone. Quibus verbis demonstrabant, eum, qui actionem & praedicationem, opera simul habet & verba, perfectum vere nominari posse: at qui alterutro caret, veri Pontificis & absoluti Pastoris nomine profus esse indignum. Quod & gentiles, naturae tantum ductum sequendo, facile perspexerunt.

Z. de profect. morum. Anacharsis enim Philosophus, referente Plutarcho, Graecorum insipientiam & ineptiam exhibendo dicere solebat: *Græci verborum magni sunt Philosophi, sed vicia & morum charisidid & bus leuissimi.* Id ipsum & Plato in Timæo in iis ipsis Græcis reprehendit: *Vos semper pueri estis, senex autem Graecorum nemo.* Garrulitatem eorum & verbositatem uterque coarguit, quod multa quidem docerent, varia verbis præcepta traderent, opere vero nihil, aut saltem parum exequerentur. Sed quanto hoc rectius & verius de Episcopis, quibus alterutrum horum desit, dici potest? utrumque enim apprime iis necessarium est: quod cum in aliquo perfecte reperitur, nam ille magnus & vere diuinus dicitur est, quod ut veteres melius & perfectius exprimerent, emblemate id explicandum censuerunt.

Zenalis tabella.

Nobilis enim ille pictor Zenalis hoc nobis in tabula scite depinxit: expressit scilicet Vlysses & Diomedem sese mutuo amplectentes & iuuentes, hac addita Epigraphe: *Vnum nihil, duo simul, plurimum, id est, ex duobus hisce ducibus, Vlyse nimirum prudenti & sagaci, & Diomede Martio & audaci perfectum aliquem posse ducem constitui: ita porro id expressit in emblematis Alciatus:*

Embl. 110.

*Laerte genitum genitum quoq; Tydeos vna.
Hæc ce a expressit Zenalis apta manus.
Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis:
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa est;
Solum mens hominem, dextra ve destituit.
quo quid aliud voluit insinuassee, quam eloquentiam vna cum prudentia, si ad vires & robur alicuius accesserint, admirabilem ali-*

quem & penitus diuinum posse reddere: at alterutrum, si cui defuerit, inter præstantes eum duces non posse annumerari.

Id ipsum & Aegyptij, præclaro Hieroglyphico expræsente: geminum scilicet pingebant Mercurium, sed ita, ut vnus iuuetra ver-nant reniteret, alter vero rugis senium arguentibus esset deformis. Designare hic volebant, eum, qui ad dignitatem aliquam aspirat, & magistratum ambit, ut pro dignitate munus suu exerceat, vno in corpore duos gerere vultus oportere, senis vnam & alteram adolescentis: doctrinam ei esse necessariam, & robur; prudentiam simul & opera: & utrumque hoc magnum aliquem & absolutum reddere, ac Deum quendam efficere, magnum dixi præeunte mihi ipsomet Domino, dum ait: *Qui autem fecerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

Hieroglyphicum Aegyptiorum.

Matth. 5.

In Actis Apostolorum historiam video, quæ huc optime facere videatur. Paulus enim & Barnabas Apostoli cū Lystris, quæ Lycaonia ciuitas est, claudo ab vtero matris, virtute diuina, pedum vsu restituisent, ciues; nouo hoc & raro portento mirū in modum perculli, existimabant, Deos sub humana ad se imagine è caelo descendisse, adeo, ut sacerdos Jouis tauros ad diuersorium eorum immolandos raperet, coronasq; è floribus contextas afferret, ut eadē caputibus eorum veluti deorum imponeret, Barnaba quidem tanquam Joui, & Paulo ut Mercurio: quod hic ad populum verba haberet, & alterutro esse videretur eloquentior, ille vero inuisitata quadam virtute supernaturali potentia operaretur prodigia: huic nimirū attribuentes verba, illi autem opera, adeo, ut ob duas halce dotes, quas in duobus his animaduertebant, diuinis honoribus utrumq; censuerint afficiendum.

Act. 14.

Et profecto ad eum se modum res habet, Verba & o- ille enim diuinus, admirabilis ac plane eccle- pera diuinū stis, quin & absolutissimus quidā Episcopus aliquem vi- est nuncupandus, qui utramq; hanc dotem in rum effici- se cōplectitur, ille namq; vere sacerdos ma- unt. gnus dici potest, quod verbis quidem Mercurius, operibus vero sit Jupiter: magnus in- quam, ut par ei haud facile queat reperiri.

Horum

Horum de numero existit Marcellus no-
ster Præsul vigilantissimus, cui hodiernam
concionem velut panegyricum quendam do-
dedicoq; & cui hodierna die Ecclesia tribuit
elogium: *Eccæ sacerdos magnus, qui in diebus
suis placuit Deo: non est inuentus similis illi, qui
conseruaret legem Excelsi.* Sacerdos nimirum,
qui verbis opera adaptauit, quæ duo po-
tissimum Episcopo ad perfectionem neces-
saria sunt, ac de quibus hodierna ad vos die
verba habiturus sum. Primo porro agendum
erit de verbis, ac deinde de operibus oratio-
nem instituemus.

Quod ad primum igitur spectat, quam
sit doctrina ac verba Episcopo alicui neces-
saria, euidenter satis Redemptor noster in E-
uangelio demonstrat, quando nimirum
Apostolos, primos nempe Ecclesiæ præfules,
lucem mundi appellauit, *Vos estis lux mundi,*
petinde ac si dicere voluisset: Ego ò Aposto-
li mei, cœli atque omnium Angelorum lux
existo, vos vero vt mundi & hominum lux
sitis, constitui. Quid hinc eliciatis vos sacra-
rum litterarum interpretes, cum pastores
mundi lucē à domino appellari intelligitis,
an non sat multæ in cœlo sunt faces? an non
quidam sol est, an non luna, an non sidera?
fateor. Sed non hic est genuius verborum
Domini sensus. altius nimirum euolandum
est, philosophia hæc Christi longe sublimior
est ac profundior. Innuere namq; vult omnia
illa luminaria in solum animalium rerumq;
corporalium vsum esse condita, ac animarū
lucem ipsos esse pastores, eosque radiantium
quorundam siderum locum tenere, quæ ni-
mirum Christianos ad gloriam perducant,
& viam ad res supernaturales demon-
strent.

Ac veluti sol, ille omnituens mundi ocu-
lus, cum nostrum axem conscendit, tenebras
omnes dispellit, spissas nebulas dissoluit, lu-
men suum quocunque diffundit, atque om-
nia, quæ in inferiori hoc mundo continen-
tur, educat ac fouet, ad eum modum & per-
fectus quidam Episcopus, qui mundo huic
velut quidam sol est, inter omnes late lumen
suum debet diffundere, in medio Ecclesiæ
splendescere, doctrina ac prædicatione eni-
zere, ignorantia tenebras fugare, errorum

nebulas auferre, & omni virtutum scientia-
rumque genere micare: denique instar ruti-
lantis cuiusdam planetæ sit, oportet, atque in
Ecclesiæ firmamento velut sidus quoddam
clucescat.

Accedit ad hanc meam comparationem
quamproxi me Sapiens, atque ex eius verbis
aliam haud ad similem elicio, *Dedit, inquit,
eis ignis ardentem columnam duces ignota via.*
ecce nuncupat eos columnas & bases, quoni-
am Deus eos vt fulcra quædam & sustentan-
cula constituit, quibus tota Ecclesiæ moles
incumbat sed columnas ardentem & flammâ-
tes, doctrina nimirum & scientia, vt sint ni-
mirum in lucem gentium, & ambulant po-
puli in splendore eorum, vt ad ipsorum splen-
dorem peccatores deuij in meliorem semi-
tam redeant; vt iis vias quas nesciunt aperiant
& ad calcandum difficiles demonstrant;
viam scilicet qua ad regnum cœlorum ten-
ditur, viam mandatorum DEI vias sa-
lembrosas difficiles sublimium fidei mysterio-
rum; vt nimirum doceant, quid sit in san-
ctissimam Trinitatem credere, qui peractum
sit sublime Incarnationis mysterium, quia
vngenuus Dei Filius pro infinito in genus
humanum affectu humanam carnem assump-
sit: quomodo omnia è nihilo Deus condi-
derit: quæ sunt reuera viæ quædam ad am-
bulandum difficiles; ac penitus incogni-
tæ.

Robertus Holcot magni interscholasticæ Holcot
Theologiæ scriptores nominis, verba hæc lect. 195.
Salomonis exponens, ait, Sapientem hæc
scribendo, ad historiam quamdam quæ ex
traditione Rabinorum è Genesi eruitur re-
spexisse: scilicet Cham Noachi filium, fi-
nito diluio, visa iam clade quam vhe-
mens illa aquarum inundatio mundo in-
uexerat, veritum, ne idem denuo forsitan
contingeret, quatuordecim ingens colum-
nas statim cõstituisse; septem quidam æreas
quæ aquarum vi resisterent, & septem lapi-
deas, quæ flammis incendioq; nequaquam
cederent, iisque omniam scientiarum cha-
racteres & notas insculpsisse, primæ nimirum
notas Rhetorices; secundæ Dialectices; ter-
tiæ, Musices; quartæ; Mathematices, atq;
aliis aliorum scientiarum notas ac præcepta:

Tttt 2 vt, si

Enl. 44.

Episcopi
sunt mundi
lar.
Maist. 5.

Compa-
rantur soli.

Comparan-
tur colum-
næ ardenti.
Sap. 18.

Holcot
lect. 195.

vt, si iterum similis orbi strages superuentura esset, ipsa saltem scientia & artes superstitites forent, perennantibus illis columnis intacta pra. Porro Docteur ille nostro hoc proposito adaptans ait, Praetules & praetatos, qui veluti bases quaedam & fulera sunt, quibus tota Ecclesia innititur, ad instar harum calumniarum esse debere: vt scilicet ijs omni in scientiarum characteres insculpti, omnesque ijs virtutes inscriptae legantur, columnae inquam circumquaque exaratae, virtutibus & scientijs plena, vt licet omnia in hoc mundo naufragio pereant, virtutes & scientiae nihilominus in eorum animabus hospites perseuerent, & a naufragio immunes, adeo vt Pontificem & Praetatum ita vtrisque instructum esse oporteat, vt ad eum non secus atque ad scientiarum oraculum & virtutum omnium thesaurum singuli recurrant, vt ab eo simplices consilium, ignorantes scientiam, afflicti solamen, pauperes auxilium, egeni remedium, peccatores probitatis exemplum, atque vniuersa Ecclesia gloriam & laudem percipiant.

II.
Cur vestis summi apud Iudaeos Pontificis tintinnabulis fuerit plena.
Exod. 28.

Scientia namque & doctrina Episcopo in primis necessaria sunt. Hinc factum puto, cur Dominus olim vestem summi apud Iudaeos Pontificis tintinnabulis, voluerit instrui, quae dum incederet, tintinnum quendam ad numerum ederent, neque enim prius Sancta Sanctorum ingredi poterat ad sacrificia Deo offerenda, quam tintinnabula sonitum edidissent, cuius rei rationem scriptura reddens ait: *vt audiatuſ ingre- diens, & egrediens, & non moriatur.* Quid? itane eum, si ingrediendo & egrediendo sonitum non edat, vitae periculum incurrere? Plurimae sunt huiusce loci expositiones. Alij namque dixerunt summum sacerdotem Sancta Sanctorum ingrediendo, Angelos vt plurimum videre consueuisse, qui minaci & terribili intuitu timorem ei incuriebant, sed eosdem ad tintinnabulorum sonitum abire solitos, atque ita Sacerdotem per tintinnabula morte eripi. Alij vero existimant, id propter reuerentiam erga diuinum numen, institutum esse, quod nimirum Deus hunc sibi locum peculiari quadam ratione delegisset, in quem

non sine magna reuerentia & sancta quadam formidine, ac non nisi dato signo, aut edito pulsu, vt in palatijs Magnatum & Monasterijs fieri videmus, ingredi oporteret. Alij alia commenta sunt, sed omnium meo quidem iudicio, optime rem tetigisse visus est magnus ille Pontifex Gregor. qui per veterem illam caerimoniam ait designati animam sacerdotis & Episcopi praedicationis sonitum edere debere: *Sacerdos ingrediens & egrediens moritur, si sine sonitu praedicationis incedat, & tintinnum, sacras litteras interpretando, non edat.* O minas horribiles, ac penitus formidandas! Deus ecce mortem intendit Praetatis Ecclesiam, verum Sanctum Sanctorum, non edito doctrinae & praedicationis strepitu ingredientibus, id est, curam pastoralem temere assumentibus. Hinc igitur elicere potestis, quam sit doctrina, ac scientia illi necessaria: in quam rem & aliam adhuc conceptum proficiam.

Tradunt Doctores Scholast. & in primis S. Thom. in Christo Iesu, in quantum Deus erat, scientiam quandam increatam fuisse; sed in quantum homo, scientiam quandam infusam: cuius rei rationes variae sunt, sed illa principem facile locum occupat, quae est verbis D. Dionysij Areopagita eruitur, qui ait Christum etiam vt hominem Angelorum omnium ac spirituum caelestium magistrum existisse; vt nimirum ostenderet se eorum caput, Principem ac Pontificem esse. Vt autem eos in proprio idiomate edoceret, requirebatur in eo scientia quaedam infusa, qualem & ipsi habebant, ac necesse erat vt scientia praetoris scientiae discipulorum, responderet. Per haec autem omnia demonstratur, Pastores qui totius populi capita sunt ac vertices singulati quadam scientia ad docendos alios, debere esse instructos.

In corpore humano solum caput oculos Episcopus in se continet, atque omnia membra dirigit capiti committitur, & moderatur; ita vt quamprimum oculi paratur. pericula varia adeat, & in ruinas vergat. Ita quoque, vt meae similitudinem hanc proposito accommodem, certum est, Praesulem in magno illo Ecclesiae corpore, mystici cuius-

D. Thom. 3.
par. 2. art.

De celesti
Hierarch.
cap. 7.

Episcopus
capiti committitur.

cuiusdam capitis locum obtinere, in eoque oculos, id est, litteras, scientiam & doctrinam singularem esse oportere, ut nimirum omnes tibi subditos rite ac debite dirigat, ac securos per salebras & anfractus deducat: qui si cæcutire caligare incipiat, quid de commissis ei animabus, quæ eiusdem quodammodo membra sunt, sperandum est aliud quàm ruina, perniciis, & id ipsum quod in Evangelio legimus, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.

Matth. 18.

Inrer cæteras quas in Judæis deplorat Esaias calamitates, erat Principum cæcitas, & nimia in delinquentibus coniuuentia: quod scilicet instar talpæ cæcutirent, & instar canum mutorum, visis populi peccatis non inelamarent, Audite eius verba: *Speculatores cæci omnes nescierunt uniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Quinam vobis hi speculatores esse videntur nisi Episcopi, quorum Græca appellatio *ἐπισκοπος* tantumdem valet, ac speculator & excubitor? Equis est, obsecro, qui non ploret, qui non lacrymetur, atque Ecclesiæ calamitatem non defleat, cum eius rectorum cæcitatem & ignorantiam intuetur, adeo ut populum instruere, & aduersus hæreticos qui ouili circumquaque insidiantur, latrare nesciant? scientia namque hominibus ac præsertim Episcopis propria est, ut ignorantia brutis ac bestiis.

Esa. 56.

Non parua quoque meo iudicio, comminatio fuit, cum populo suo Deus comminatus est, daturum se ei Duces & Principes, qui cæcutirent, & gubernatores quorum oculi caligarent, *Et claudet oculos vestros Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet id est, Prophetas & Reges vestros, qui vestri quodammodo oculi sunt, quorum est reipubl. commodis inuigilare, cæcos reddet, adeo ut conuocandi & dirigendi sitis ab iis, qui profus cæcutient, qua nulla maior calamitas & infortunium timeri queat, quæ ne non nisi insignem ruinam vobis allatura sit.*

Esa. 1. 9.

Hinc cum arx Sion a cæcis Jebuzeis defenderetur, statim ab Hebræis direpta fuit: *Proposuerat enim David in die illa premium, quod*

2 Reg. 5.

percussisset teburæum, & reuigisset domatium fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odentes animam David. Vnde colligitur Ecclesiæ cum à Prælati cæcutientibus, id est, ignorantibus & indoctis administrantur, maximo in discrimine versari.

Atque ideo Ammonitarum Rex Naas, vt i. Reg. 11. Galaaditas inimicos suos penitus deleret, ducibus eorum oculos etuere conabatur. Cum enim tyrannus ille valida militum manu aduersus eos descendere, ipsi duces ad eum velut legatos destinarent, ut secum pacisceretur, suumque illi obsequium obtulerunt, sed barbarus ille & immitis respondit, non prius se cum iis pacem inire vellet, aut fœdus pacisci, quam dextros singulis oculos eruisset. Doctissimus Tiranus barbarum hocce factum accuratius examinans, tandem hoc modo concludit; Galaaditas, scilicet ingentis staturæ viros fuisse, longos, proinde & vastos clypeos gestasse. Et quoniam clypeus sinistram plerumque oculum tegit, hinc siebat, ut barbarus ille dextros oculos erutos vellet; quibus erutis ipsi ad bella profus inepti essent, ut pote, qui nihil inter pugnandum viderent. Ut hoc nostro cæpto seruiat, dico ipsos Ecclesiæ militantis duces, ac Principes, Prælatos esse; Saranam vero qui Naas infernalis est, aliud nihil desiderare, quam ut eos cæcos reddat: quos si semel dextro oculo, scientiæ scilicet ac prædicationis, orbati contrigerit, & imperitos esse, quid obsecro aliud ab illis expectare potest Ecclesiæ, quid aliud Christiani omnes, ac grex ipsis conceditur, quam meram ruinam, eosque velut inutiles ac frugiperdas alere.

Vnum è præcipuis ornamentis quæ in Dei tabernaculo visebantur, fuit candelabrum aureum, in quo septem lampades colucebant: *facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex auro isto.* designabat hoc, maximum Ecclesiæ ornamentum esse, si Pastor & præsul instar candelabri septem eximiis lucernis ad subditos illuminandis exornatus sit: si inquam Episcopus septem liberalibus artibus ac Theologica scientia optime instructus Ecclesiæ præsit, hænamque artes sunt velut lucidæ quædam lampades.

Exod. 25.

Trio; pades.

Matth. II.
Luc. 8.

pades, quæ nobis in hoc vitæ itinere lumen præbent: Ita nempe & Evangelium loquitur, quod scientiam lucernæ & Episcopos candelabro assimilat, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Quidquid sit efficitur saltem, scientiam Sacerdotibus, Prælati, atque omnibus qui ad sublimiores dignitates euecti sunt, pernecessarium esse, quod noua adhuc ratione demonstrabo.*

Voluit olim Deus, vt Sacerdotes tubis clangerent in medio exercituum, quamobrem hoc eum putatis iussisse? an deerant alij quibus hoc magis pro officio facere incumberet, vt milites ac duces? an non erat indecens, Sacerdotes qui Deo sacri erant, tubas in medio castrorum inflare, officioque tam profano destinari? vt nimirum ostenderet, Sacerdotes & Præsules, in castris Christianorum, id est Ecclesia, quæ terribilis est vt castrorum acies ordinata; tubarum & buccinarum locum obtinere debere, vt nimirum Euangelium annuncient, summi Dei edicta promulgent, eius leges seruandas proponant, suos ad fortiter agendum inuident, bellamque acerbissimam & implacabilem viuis indicant. Audite quid olim Isaia in simili negotio præcepit Deus, *Quasi tuba, exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.*

Isai. 38.

Platonis
sententia.

Princeps ingenij ac doctrinæ Plato tum demum beatas fore resp. dicebat, si aut Philosophi eas regerent, aut qui ad earum gubernacula sederent, philosopharentur. Id ipsum modo de hoc nostro sæculo dicere mihi iure posse videor; beatas tum demum fore parochias, dioceses & Ecclesias, cum Doctores, Theologi, & Philosophicis scientijs instructi, in capita; Pastores & Episcopi constituerentur.

Sed quam te merito felicem occupare potes ô Lutetia, orbis epitome, totius Europæ ciuitatum & caput, & Princeps, Regum delictum, quæ huiusmodi semper Præsules nacta es? nimirum doctos, sapientes, sanctitate & morum honestate penitus admirabiles! Inter quos principem facile locum obtinet gloriosus ille Confessor Mar-

cellus, qui in gremio tuo est educatus, qui tibi domi natus est, qui territorij tui & agri fructus est germen, qui inter Episcopos tuos, vt inter stellas Luna minores, emicat. Marcellus inquam qui in hac Parisiensi ciuitate natus, nonus in ordine Parisiensium Episcoporum fuit, successor Prudentij, idque temporibus cum hæc Gallia ab infidelibus adhuc regebatur regibus; quinque iam à mille ducentis propemodum annis viuere desit, & sanctæ Genouefæ per familiaris existit.

Statim vt ingens mundi huius imperium conditum est, duo quamprimum magna luminaria constituit Deus, solem nimirum & lunam, quæ toti quæque patet orbi de die ac nocte illueerent. Idem Deus cum Galliæ huius Monarchiam constitueret, duo quoque luminaria effulgere fecit, Marcellum nimirum velut solem, & sanctam Genouefam quæ secunda luna foret, vt duo hæc astra splendore & lucerutilantia, toti huic regno lucem præberent. Quid autem impedit, quominus vtrumque videntibus illis oliuis comparem, quæ in conspectu Dei videbantur, vt in Apocalypsi Ioannis describitur? Hæc quam eximia virgo? quam magnus & celebris confessor! quam merito de ipso hodie. *Supra.* na die cum Ecclesia decantare possumus. *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.*

Vere inquam Sacerdos magnus, ac Episcopus maximus, simul sanctissimus, doctissimus, ac salutis animarum studiosissimus. Quoties enim ille ad populum verba habuit, vt peccatores è deuio vitiorum tramite ad salutis iter reuocaret, peccata ipsa profligaret, hæreses & praua dogmata extirparet, & idololatrias ad fidei veritatem compelleret! fuit, fuit Auditores, nouus quidam Iacob, qui vt gregem Labani cælestis serua- ret, magna animi constantia frigus & æstus infractus sustinuit, dies noctesque orando traduxit, vt eadem, quæ Iacob, vsur- *Gen. 31.* pare verba merito potuisset; *Diu nocturno æstu urgebar & gelu: & fugiebat somnus ab oculis meis: Habuit enim præter verba doctrinam sapientiamque etiam opera; docebat aimirum simul faciebat, quod scilicet al-*

rerum est quod in absoluto Episc. desiderari dicebamus, & secundum concionis nostrae membrum, quod iam profequamur.

Bono igitur & fideli pastori non modo verba, sed etiam opera necessaria sunt; neque enim sufficit, ut doctus sit, ad populum saepe numero verba habeat, sed requiritur etiam ut manum ad opus ipsum extendat, atque ea quae pro suggestu dixit reipsa, & facto probet, omnibusque & singulis egregiam probitatis honestatisque exemplum praebat. Erit alioqui mendaci horologio per similes. Nam quemadmodum cum hora 11. audis, & oculos in gnomonem coniciis ac non nisi 10. vel 9. horas vides designari, statim tecum ipse iudicas horologium fallere, aut axes intortum esse vitiatos, ac loco motos. Ita quoque, si pastor, qui verum quoddam fidelium horologium est, in summo Ecclesiae fastigio horas & minuta indicans, quique veluti campana quaedam est, omnes salutis horas ac momenta populo denuntians, si ipse inquam Ecclesiae pastor alium sonum praedicatione & alium operibus edat, evidens signum est eum sibi non constare, atque in eius actionibus discordantiam reperiri.

Paulus Doctor Gentium veritus, ne idipsum sibi fortasse accideret, omni ratione contendebat mores & vita ut verbis praedicationique responderent; hinc ad Corinthios scribens, aiebat: *Castigo corpus meum, & in seruiute non redigo, ne forte cum aliis praedicaui, ipse reprobus efficiar.* Id est, Opere implere conator, quod verbis doceo, & poenitentiam aliis praedicans, in me ipso eandem prius exprimeret studeo; alios ad fletum & lacrymas inuitans, prius oculis meis lachrymas excutere atque imitari gestio praecellos illos agricolas, de quibus Psaltes ait: *Euntes ibant & fiebant, mittentes semina sua.*

Episcopus namque multa docens, & pauca praestans, quique theoriam quidem habeat scientiae, ac nullam virtutum praxim, & qui alios ad bene viuendum inuitat, ipse vero dissolutionem morum ostentat, similis esse perhibetur faci, aliis quidem lucem praebenti, se ipsam vero ardendo destituenti. similis quoque est aquis Baptismi, quae animabus quidem ad coelum aditum patefaciunt, ipsa ve-

ro in fordibus remanent: similis etiam est iis qui Noe arcam longo tempore compegerunt, in qua alii seruantur, cum ipsi eadem exclusi aquis immergi perierint. Bonorum igitur operum exercitium vna cum doctrina & praedicatione Episcopo necessarium est.

Demosthenes inter Graeciae oratores eloquentissimus, interrogatus aliquando, referente Aug. quidnam in perfecto Oratore primas ferret, respondit, Actio: petentibus deinde aliis, quid secundas iterum respondit Actio, ac mox quid tertias, iterum Actio: & sane crediderim, eum semper hoc ipsum de actione dicturum fuisse, si saepius id ab eo petitum esset: equidem id ipsum de Episcopis iure meritoque mihi dicere posse videor: si enim quis a me petat, quid primas in perfecto, absoluto & digno Episcopo ferat quamprimum sine tergiversatione, idque totius orbis iudicio, respondebo, vnicam esse Actionem, si deinde, quod obtineat secundas, tertias & quartas vnicam esse dicam actionem: adeo ut si millies eadem quaestio reiteretur, idem ego semper de actione testimonium darem. Ipsa namque actio velut fundamentum est Episcopalis dignitatis, a qua nimium tota Episcopi perfectio dependeat.

Satis id indicasse visa mihi est sponsa in Canticis, statim namque ut sponsi vocem laudauit, *sona vox tua in auribus meis, sone nim tua dulcis & decora* ad manuum eius pulcritudinem celebrandam descendit, *manus tornatiles, aurea, plena hyacinthis.* Sponsus hic profecto veram Episcopi imaginem gerit, sponsa autem Ecclesiae vox eius praedicationem denotat, & manus hyacinthis plena bona opera virtutibus & meritis insignita. Tunc namque manus eius vere aureae dici possunt, quando charitas & zelus in operibus eius elucet, hoc namque inter virtutes charitas est, quod aurum inter metalla, & tum digiti eius gemmis & hyacinthis scitent, quando bonis operibus, ac virtutibus incumbit, quibus nulla pretiosiora monilia aut gemma cariores reperiri queunt. E quibus omnibus apparet, vocis dulcedinem, vna cum auratis manibus, doctrinam simul & virtutem, praedicationem & opera, praestantissimas dotes esse, quae in Episcopi

III.
Actio & opera extera Episcopi, quaeque necessaria sunt. simile.

1. Cor. 9.

Psal. 125.

IV.
Virtus similitudinibus designatur Episcopus, qui ea quae dicit, opere non adimplet.

Epist. 16. ad Diaphororum.

Cant. 2.

Cant. 5.

Matth. 23.

ant.

anima, qui verus Ecclesie sponsus est, desiderari possunt.

Quin etiam magnus ille paterfamilias apud S. Matthæum, vineam suam, dum culturam vellet, elegit in vitatores, non disertos aliquot oratores, non magnos Doctores, non sublimes Philo sophos, sed solos operarios & laboribus assuetos. *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam, & post pauca addit idem paterfamilias, Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Vineam hæc Ecclesiam representat, vitatores vero & agricola: cœlitus missi esse debent laborantes, qui tantum nimirum operantur, quantum loquuntur. Sed vnum hoc deplorandum est,

Matth. 9.

Luc. 10.

Ibidem.

Prælati vitatoribus Euangelicis comparati.

Matth. 23.

2. Reg. 23.

quod multum in hac vinea sit operis, ac messis plarima, at pauci admodum reperiantur operarii, multi quidē in vniuersitatibus, Doctores, multi in Collegijs philosophi, multi inter nobiles & Aulicos Abbates, multi in Palatijs principum Episcopi, sed operarii pauci, pauci, inquam qui Ecclesie commodis inuigilent, qui pro eadem laboribus incumbant, pauci scilicet Episcopi, qui quidquid dicunt, opere ipso deinde explicant, *dicunt enim & non faciunt.* Hi vero Deum grauissime offendunt. Hinc libro 1. Regum iratus, quod Saul iussa sua nō adimplet, eiusque verbis, Amalecitas internecione non delendo, non obtemperasset, ad Samuelem ait, *Pœnitote me quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.* Nihil porro obstat, quo minus hoc etiam de Episcopis dicatur, illi enim Deum dereliquisse videtur, eiusque verba negligere, qui quod dicunt non præstant, qui quidem Euangelium ac genuinum Dei verbum populo denuntiant, ad operandum tamen non accinguntur, nec manum operi admovent.

Iud. 3.

Scriptum est in libro Iudicum, Ad filium Gera, ambidextrum fuisse, & vtraque manu pro dextra vsu, de quo inter cætera scribitur, *quod fecit sibi gladium ancipitem habentem in medio capitulum longitudinis palmae manus.* Omnia porro hæc mysterio non vacant. Inprimis validus ille miles nostros Episcopos designat, qui quoniam Ecclesie copijs præsumunt, nunquā inermes sint, oportet, sed semper gladio, quod est verbum Dei, accincti, gladio

inquam ancipiti, tum ad virtutes laudibus debitis exornandas, tum ad peccata & vitia castiganda: qui gladius quoque ad longitudinem manus aptandus est, vt nimirum faciant, quod docent, atque opere demonstrent, quod verbis alijs persuadere satagunt.

In mari illo fukli, quod Salomon in templo Ierosolymis constituit, insculpti erant leones, boues, & Cherubini. Si me sculptura huius interpretem adhibere vultis, dico per mare hoc optime Ecclesiam designari, per animalia vero insculpta ipsos Episcopos, quos fortitudine oportet esse leones, scientia Cherubinos, opere ac labore boues, boues inquam ad effringendas glebas duriores, ad portandum iugum: ad vineam purgandam, & ad Ecclesie noualia colenda.

Ioannes in Insulam Pathmos à Domitiano relegatus plurimas à Deo apparitiones habuit, atque inter cæteras vidisse se ait filium hominis septem manu stellas tenentem. Per septem has stellas interpretes designari Episcopos arbitrantur, qui scilicet instar titulantium ac splendorum siderum in Ecclesie firmamento colucent, & in manu Dei versantur, vt nimirum hinc discamus pastores, nisi sincere ac sincere vlla fraude à manu Dei in Ecclesia stabiliti sint, non vero manu mundi, id est, favore aliquo, aut datis muneribus, alisque vijs illicitis, semper obscuros esse, ac nunquam non deliquium pati, nec vllum lumen præbere. Hæ autem stellæ Angeli appellantur, *septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum:* vt hinc intelligamus, quanta vitæ puritas Episcopis sit necessaria, qui per doctrinam instar stellarum effulgere, & per vitæ integritatem & innocentiam Angelorum imitari debent puritatem. Noto hic deinde stellas has manu teneri, non vero capiti esse superimpositas, aut alteri euidam corporis membro annexas, vt doceamur hinc opera Prælati imprimis esse necessaria, quorum operum verum symbolum ipsa est manus.

Quam pulchrum porro est, ac iucundum videre Principes illos Ecclesie munere suo debite ac rite fungentes, populum sibi commissum verbi vitæ pabulo fideliter pascētes, doctrina sua salutis iter illi manifestantes, cumque

eumque honesta conuersatione, ac probitate
 vitæ adificantes, omniq; ratione contendentes,
 vt cum theoria praxis quam optime coinci-
 dat: Quam vero dolendum est ac deploran-
 dum, cum in ijs mores doctrinæ & verbis
 vsq; adeo non respondent, cum hoc docent,
 & illud præstant. Egregiam ad hoc propo-
 situm historiam refert Plutar. Cum quidam æ-
 tate grandior, stadium olympicum ingressus
 esset, ac conuenientem ætati suæ locum que-
 sisset, nullus ei omnino ex vniuersis Græcis
 assurrexit, aut locum concessit: qui tandem ad
 Lacedæmonios se contulit, qui cæteris culti-
 ores audiebant, inter quos ei non modo
 pueri, locum cedendo, sed etiam ætate gran-
 diores ac viri assurrexerunt, venerandam can-
 nitiam & annos in eodem reuerenti, quod fa-
 ctum cum cæteri Græci magnopere depræ-
 dicarent, inclamare in omnium consensu se-
 nex cepit: *Heu miseriam! Omnes Græci norunt,
 quid sit honestum, sed eo solum vtuntur Lacedæ-
 monij.* Vt hoc senis huius apophthegma pro-
 positæ accommodem materiæ, dent operam
 Pastores, ne ipsis scientibus quod sit pul-
 chrum, honestum, vtile ac quantum sit vir-
 tutis decus & pulchritudo soli Laici idem o-
 pere demonstrent, ac factio præstent.

Huius meminisse vos velim Præsules, &
 simul in mentem reuocare, quam acrem illi
 in Euangelio reprehensionem à Domino vine-
 neæ audierint, qui præ desidia & inertia otia-
 bantur: *Quid stas hic tota die otiosi? Otiosi in-
 quam, non concionantes, nõ scribentes, Ec-
 clesiæ commoda negligentes: Otiosi, clerum
 non reformantes, diocesis visitationem om-
 mittentes, hæreseon zizania non extirpan-
 tes: Otiosi, extra diocesim, procul à grege, in
 aulis Principum, in delicijs, voluptatibus in-
 dulgentes tota die: toto iuuentutis vestra tẽ-
 pore, in flore ætatis, toto demique vitæ spa-
 tio. Non ita, nõ ita inquam vestri fecere ma-
 jores, non hac via sancti illi patres vobis præ-
 uerunt, & in primis S. Marcellus, ille nam-
 que & concionabatur, & operabatur, ad imi-
 tationem nimirum Apostolorum, qui primi
 orbis exstiterunt Episcopi, qui bona opera ve-
 lut additamentum ad prædicationem adun-
 gebant, ac virtutem doctrinæ velut sociam
 adnectebant, zelum prædicationis, & vitæ*

Bej ai tom 3. de Sanctis.

austeritatem semper simul in aciem produ-
 centes. Hinc de ijs locutus videtur Psalmo-
 graphus dicens: *Euntes ibant & flebant,* Psal. 113.
mittentes semina sua. In quam rem egregiam
 mihi similitudinem suggerit Propheta Iob.

Cum Deus Iobo quædam naturæ miracu-
 la reuclaret, inter cætera ait: *Nunquid nõ isti Iob. 39.*
tempus partus ibicum in pratis, aut parturientes
ceruas obseruasti? Incuruatur ad fœtum, vt pa-
riant, & mugitus emittunt. Gregorius locum
 hunc in Moralib. explicans ait, per has ibices,
 & ceruas, cursu velocissimas, primos Ecce-
 siæ partes designari: quorum tanta fuit in cur-
 su celeritas, vt quatuor mundi cardines bre-
 uissimo temporis spatio peragrarent. de qui-
 bus in Psalmis scriptum legimus: *In omnem*
terram exiit fontis eorum, & in fines orbis terra Psal. 18.
verba eorum: quique plurimos Deo, sed non
 sine ingenti molestia ac magna difficultate
 pepererunt. vt de se ipse in primis testatur gẽ-
 tium Apostolus Paulus: *Per Euangelij ego vos* 1. Cor. 4.
geni. Scire vultis, quos ille labores subierit,
 quas ærumnas exantlarit, quos in partu do-
 lores sustinuerit, ipsum de se scribentem au-
 dite: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum,* 1. Cor. 11.
ter naufragium feci, die & nocte in profundo ma-
ris sui, in itineribus saepe, periculis fluminum, peri-
culis latronum, periculis ex gentibus, periculis in
ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari,
periculis in falsis fratrib. in labore & æriâ, in vi-
gilijs multis, & fame & siti, in ieiunijs multis, in
frigore & nuditate, &c. O partum difficilem! ð
 graue & ærumnosum pauperium! Heu! vete-
 res illi Ecclesiæ Præsules, vt munere suo pa-
 storali optime fungerentur: quos carceres
 non subiere, quæ vincula, quas catenas non
 sustinere, quos labores non sunt perpessi,
 quos sanguinis torrentes non effuderunt? vt
 merito de illis Dauidicum hoc vsurpare que-
 am: *Dedit eis regiones gentium & labores populo-* Psal. 104.
rum possederunt.

Tales scilicet fuere veteres illi Præsules,
 sanctitate & doctrina admirabiles, tales Epi-
 scopi illi Gallia, quorum nomina scripta sunt
 in cælis, Remigius Rhemensis, Marcialis Le. Gallia vete-
 mouicensis, Saturninus Tholosanus, Suri- res Episc.
 nus Burdegalensis, Astremonius in Aruer-
 nia, Hilanus Pictauiensis, Martinus Turo-
 nensis, Marcellus Parisiensis, Episcopi S.

Vuuu Mar-

Marcellus inquam, quem hodie præ cæteris prædico, ac de quo canit Ecclesia: *Ecco sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & Non est inuentus similis illis, qui conseruaret legem excelsi*, qui nimirum adeo magnus in mûdo existit, ac tanti in Ecclesia nominis, vt paucos ei pares reperias, pares scilicet meritis, pares virtutibus, pares miraculis, pares in docendo populos, pares in idololatria extirpanda, pares in honore & cultu Dei promouendo, deniq; in misericordia erga pauperes ac mendicos pares.

2^a 1^a 31.

De eo namq; vere dicere possum ac proprie quod de omni viro iusto ait sapiens: *Laudent eum in portis opera eius*. ac publice coram vniuerso mundo. Non est porro necesse pluribus laudes & encomia eius verbis de prædicare, ipsa eius opera, ipsa miracula, eius heroicę virtutes in portis eum decantent, ac celebrent, in portis inquam magna huius Ecclesię, honori & cultu Deiparę Virg. dedicarę, in portis nobilis huius ac vastę ciuitatis, in portis ac liminibus magni huiusce regni, deniq; in portis totius orbis Christiani laudes eius & opera celebrentur.

Cum aliquem magni nominis, aut Principem mori contigerit, superbis statim stragulis ac peristromatis magnificis parietes & domus limina conuertiuntur: adeo vt necesse non sit nomen & qualiteram sciscitari defuncti, cum ex aularis & parietũ ornatu satis manifestum sit opulentum aliquem ac dignitate fulgentem obiisse, quem laudent in portis, & parietibus opera eius. Id ipsum de sancto Marcello hodie mihi dicere liceo: si enim scire desideretis, quis qualisue fuerit, quamnam eius merita, vnico vobis statim verbo respondeo: *Laudent eum in portis opera eius*: vitam eius intuemini, actiones eius inspicite, miracula attendite, & plurimas alias virtutes, quę vera animę supellex sunt, & videbitis ex his omnibus, ipsum celebrem aliquem ac magni nominis Episcopum fuisse.

Laudes & encomia Marcelli. Escl. 44.

Tota igitur hæc diocesis, totum hoc regnum, vniuersus clerus atq; vniuersa Catholica Ecclesia hodie mecum dicant: *Ecco sacerdos magnus*. Vere magnus, quia magna ac late

patentis ciuitatis Episc. magnus, quia magna ac luculenta edidit miracula; magnus, quia magna modo eius in cœlis est gloria; magnus deniq; quia magni apud omnes nominis est ac fama. *Ideo fecit illum Dominus crescere in plebe m suam*. O mercedem incomparabilem! o nobile vigilantium Episcoporum præmium! quia nimirum vigilans fuit ac sedulus in Episcopatu, quia populum sibi concreditum assidue verbo vitę pavit & sapienter vitam instituit, quia scientia opera, & actionem coniuuixit, *ideo* nomen eius per omnes terrarum angulos celebre redditum est: *ideo* Episcopatu eius Dominus benignissime fouisit ac promouit; *ideo* gregem eius & oues fecit crescere: *ideo* bonos ei successores elargitus est; *ideo* nomen eius super æthera notum, ac memoria illius apud posteros erit immortalis. Nam, *in memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit* Hoc quidem de omni iusto, sed ipsum Sancti Marcelli nomen peculiari quadam ratione in æternum manebit, nunquam de eo quicquam secus ac debet loqueretur, Lutetia semper memoriam celebrabit, nomen eius perpetuo conferuabit; semper eum inuocabit ac nunquam non de eo dicet: *Eccc Escl. 2. Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo*.

O vere imago Marcellę atq; inter omnes Sanctos eximie, inter Pastores Pastor egregie, decus Lutetię, vniuersę columen Gallię, fidei spes, supplicum refugium & prælidium: cuius hodie Ecclesia festiuitatem celebrat. O Sancte ac gloriose Episcopo, qui modo Angelis sociat in cœlesti regione regnas, Altissimo dilectus & æterna beatitudine perfruens. O beate Episcopo, qui tanta olim prudentia, ac sanctitate hanc diocesim direxisti, huius obsecro tui gregis memor esto, ad oculos tuos benignissimos oculos conuerte, intercede pro eo, qui nostris diebus locum tuum hic occupat, qui insulam, quę tuam aliquando caput exornauit, capite gestat, & pedum manibus, quod tuum aliquando fuit, qui idem, quo tu olim grauatus fuisti onere humeris impositum habet. Et quoniam multum te apud Dominum posse, & magni preces tuas apud eum ponderis esse confidimus, nostris hodie precibus aurem accommoda.

pro.

pro nobis omnibus intercede, nostras quoque Deo orationes representata, ac pro nobis apud Altissimum obtine, ut postquam fidele hic ei obsequium præstiterimus, teque qui ei carus es, debito honore profecuti fuerimus; ex hac vita in æternam ingredi mereamur, ad quam nos conducatur Pater, & Filius ac Spiritus S. Amen.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI ET CONFES-
SORIS.

Partitio.

1. *Quales esse oporteat Episcopos?*
2. *De S. Martini statu militari & admiranda charitate.*
3. *De eius eremitico Monachatu.*
4. *De Mundi statu & contemptu.*
5. *De fuga mundi bonoq; statu monastici.*
6. *De Episcopatu S. Martini pauperis.*
7. *De inuito Sancti Martini zelo ac fortitudine.*

O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec viuere recusauit!

FIGURA.

Gm. 11.

ABRAM Patriarcha statim ut à Deo Avocatus fuit, patriam suam, cognationem, ac domum paternam deseruit & in regionem alienam profugus secessit, in qua varijs laboribus afflictus, ac grauissimas ærumnas perpeffus est. Cum oculos in Sanctum Martinum eiusque vitam conijcio, simile quid videre mihi videor. Contemplor enim eum, instar Abrahamæ, ad Dei inspirationem, e castris sese propipientem, vitam militarem, amicos, domum paternam & consanguineos deserentem, & in aliam muadi regionem, in vastam scilicet solitudinem secedentem, in qua varijs exercetur molestijs, innumeros subit labores ac miseriarum iliadem experitur. Magnus Pa-

triarcha fuit Abraham ac multarum gentium parens. Porro similitudinibus hæc in hærens, eius hodie vitam, virtutes, res gestas, merita & quidquid de eo refertur, mox dicendo prosequar, si paraclito Spiritui visum fuerit coepris, & gloriosissimæ Virgini auxilio suo succurrere. Atque adeo omnes eam Angelica salutatione compellemus.

AVE MARIA.

Ingenij ac doctrinæ princeps Plato tum *Platonis sententia.* demum beatas fore resp. dicebat si aut Philosophi eas regerent, aut qui iisdem præessent Philosophiæ incumberent. Quod summus ille Philosophus de rebus publicis ac ciuicatis. hoc ipse multo scitius de Ecclesijs quædam dicere: eas tum demum felices, ac beatas dicas, cum à doctis, & probis Pastoribus, virisque Philosophicis gubernantur.

Philippus Macedonum Rex audito, filium sibi natum, magnum se à dijs immortalibus beneficium adeptum censebat; at vero multo maius, quod eo potissimum tempore natus fuit, quo Aristoteles scientia & doctrina magnus Athenis vivebat, cui filium in disciplinam suo tempore traderet. Multo maiorem gaudendi & exultandi occasionem Ecclesijs & diocceses habere existimo, quando summus ille rerum arbiter Deus de viris sanctitate illustribus & scientia claris, iisdem prouidet.

Theopompo Regi quidam non esse mi- *Plutarchi in Lucullo.* rum dicebat, Lacedæmoniorum Rempubl. longo tempore & rerum gestarum gloria florere, & non ut cæteras pessum ire; cum scilicet, qui eam gubernarent suo munere optime fungerentur, & suas quisque partes quam diligentissime implere satageret. Idem de rebus publicis Christianorum, Ecclesijs inquam & dioccesibus quid verat dicere? non esse scilicet mirum, si eadem dulcissime floreat, cum fideles habeant pastores, qui eam regere & debite administrare norint; aut si deficiant, ac consenescant, cum inepti & incapaces ad earum gubernacula sedeant.

Domus in qua Philisthæi epulabantur statim ad terram corruit, cum Samson eorum
Vuuu 2 aduer-